



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**P. Conradi Janningi E Societate Jesu Epistola Familiaris Ad
R. A. P. Sebastianum à S. Paulo ...**

Janning, Coenraad

Antverpiæ, 1693

urn:nbn:de:hbz:466:1-40359

Th


2168

Th. 2168.


D III

20.









P. CONRADI JANNINGI
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA FAMILIARIS
AD R. A. P. SEBASTIANUM à S. PAULO,

*Provincialem Provincia Flandro-Belgica
Ord. FF. Beatiss. Virg. Mariae de Monte Carmelo,
olim Sacrae Theologiae Professore[m] Lovanii;*

Circa librum ejus, qui inscribitur;

EXHIBITIO ERRORUM

QVOS P. DANIEL PAPEBROCHIVS S. I.

Commisit contra Christi Domini paupertatem, aetatem &c.
Summorum Pontificum Acta & Gesta, Bullas, Brevia & Decreta;
Concilia, S. Scripturam, Ecclesiae Capitis Primatum & Unitatem;
S. R. E. Cardinalium dignitatem & auctoritatem;
Sanctos ipsos; eorum cultum, reliquias, acta, scripta;
Indulgentiarum antiquitatem;
Historias sacras, Breviaria, Missalia, Martyrologia, Kalendaria;
receptasque in Ecclesia traditiones ac revelationes;
nec non alia quaevis antiqua monumenta Regnorum, Regionum,
Civitatum, ac omnium ferè Ordinum;
idque non nisi ex meris conjecturis, argutis negativis,
insolentibus censuris, satyris ac sarcasmis;
cum Ethnicis, Hæresiarchis, Hæreticis, aliisque Auctoribus
ab Ecclesia damnatis;

ANNO MDCXCIII. OBLATA

S. D. N. INNOCENTIO XII.

Accedit ejusdem

BREVIS INSTRUCTIO

Circa prædicti R. A. P. Sebastiani

LIBELLUM SUPPLICEM,

S. D. INNOCENTIO XI.

exhibitum anno 1683.

ANTYERPIÆ apud Viduam GEORGII WILLEMSSENS.
Permissu Superiorum. A. D. 1693.

CONRADII IANINICI
SOCIETATIS
EPISTOLA FAMILIARIS
AD RALPHUM SEBASTIANUM & SIBYLAM

EXHIBITIO R. O. R. H. M.

INNOCENTIO XII

BEATI INNOCENTII

INNOCENTII

R. O. R. H. M.

ADM. REVERENDE PATERI

PAX CHRISTI.

Vidimus librum Paternitatis vestrae adm. Reverendae, cujus titulus incipit, *Exhibitio Errorum*. Reliquus hic iterari refugit, ne Auctori suo, pro religiosa modestia, qua subditis praelucere Provincialis debet, ruborem denuo injiciat. Liber ipse duo potissimum tractare videtur; alterum, ut stabiliat summam antiquitatem sacri Ordinis sui; quod opto fieri posse; alterum, ut ad stabiliendam antiquitatem illam, convellat Acta Sanctorum; quod Sanctorum Cultores improbare debent omnes, & desperatae causae vestrae indicium putant. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. Tertium quoque addi posset; stylus, commoti animi index; epitheta, aequis auribus gravia; termini, invidiam concitare nati; sententiae partis alterius truncatae, pro integris passim venditae; tituli, plura promittentes, quam demonstrent; suppositiones, non fundatae, & numquam probatae, nec facile probandae; Censores, qui partem inauditam, nec lectis eius scriptis, condemnant, minus aequi; & alia ejusmodi plura. Sed bona causa talibus adminiculis nulla indiget.

2. Ad primum nihil attinet respondere, praeter dicta pridem suis locis. Patern. vestrae non ignota, & haecenus sibi constantia. Tertium commiseratione potius, quam responsione dignum est. Secundum considerari potest. Sed cum in illo jam Patern. vestra non tam exagitet P. Papebrochium, quam laceret (si Superis placeat) ipsa Sanctorum Acta, a populo Christiano utiliter legi solita; ab historiae ecclesiasticae peritis amplè probata; a Praesulibus, Episcopis, Cardinalibus, summis Pontificibus variè promota; ab omnibus denique, non livido oculo illa legentibus, passim laudata; cum, inquam, Patern. vestra ita tractet indignè Acta Sanctorum; nihil miretur, quod nunc silentium rumpamus; non jam causam privatam nostram & scripta de Origine Ordinis vestri, sed causam Ecclesiae & Sanctorum omnium publicam defensuri.

3. Quamquam ne hanc quidem mihi defendendam sumere velim, illo quo vobis placeret modo; conscribendo librum, & respondendo ad singulos paragraphos vestros; sed monendo Lectorem, ut cum pervolverit librum vestrum, citata ibi ex Actis Sanctorum loca ipse per se dignetur inspicere, legens praemissa & subjuncta; atque, si minus rectè accusari nos viderit, innocentiae plaudere; si quid erratum notaverit, benignè nobis indicare. Id enim palam esse eruditus omnibus cupio, paratos fore nos, quicumque indicati fuerint errores, cum gratitudine animi corrigere, exemplo decessorum nostrorum, qui id praestiterunt, in aetate S. Francisci de Paula, in Officio sanctissimi Sacramenti, in aliis.

4. Quae fuerant RR. PP. Minimi, praegravem sancti Patriarchae sui aetatem, non rectè a nobis imminutam esse. Quae item RR. PP. Praedicatorum, malè negatum a nobis Divo Thomae auctori totum Officium praedictum. Utrique pro-

ductis rationibus ostenderant querelarum suarum verosimilem æquitatem; & continuò obtinuerunt correctionem nostram, mutatis quæ mutanda erant. Ex ecce cessarunt ipsorum quærelæ; successit gaudium nostrum ex elucidata magis veritate; perstitit religiosa pax, amor, concordia. Utinam similiter RR. PP. Carmelitæ rationibus non vanis, aut malè suppositis argumentis, probent vera esse, quæ esse cupiunt; nos similiter prompti sumus futuri ad subscribendum veritati monstratæ.

5. Videri etiam potest *Protestatio iterata* tomo 6. Maii præfixa, ubi adm. Rev. D. Claudio Castellano, Canonico Parisiensi, obstrictos nos esse fatemur; & Papebrochius, tamquam singulariter merito de se & Actis Sanctorum, eidem inscribit, grati animi causa, amplam Dedicacionem, *Paralipomenis ad Conatum in Catalogos Romanorum Pontificum* præfixam, quod inter legendum Acta Sanctorum notare errores, nobisque indicare dignatus fuerit. Si eundem scopum inter legendum Acta habuit Patern. vestra, quem iste; & si veritatis illustrandæ studio collegit operosè tam multa in libro suo, gratias eatenus agimus; sed aliud etiam beneficium addi rogamus, ut Patern. vestra (neque enim ipsamet crediderit, omnia, illic à se congesta, errores esse) errores veros maturo examine è libro suo excerpere, & scriptos aut typis seorsim editos communicare nobiscum dignetur. Quo factò, majori nos beneficio affectos putabimus; quia magno labori, lectione libri vestri perdendo, parcituri simus, sanctiore studio utilius occupati.

6. Quod si animus mihi foret contentionis cupidus, deberem exemplo Patern. vestræ scrutari atque invidiosè explicare librum vestrum, uti explicantur à vobis Acta Sanctorum; ausim spondere futurum (ita me Sancti juvent) ut plura proferam è libro vestro reprehensione digna, quàm ex Actis vos produxistis. Atque illud imprimis ubique in vobis reprehendam; quod temerè ipsi reprehendatis, quæ passim reprehendenda non sunt, iudicio Eruditorum. Vin' pauca, quæ paucis dici & facile intelligi possunt, hic notem? Arguimur docere, Constantinum Magnum, non à S. Silvestro Papa Romæ, sed ab alio Nicomediæ sub vitæ finem salutari fonte lavatum esse; tribuere Christo Domino ætatem longiorem, quàm vulgo solet; non credere pari firmitate, divum Lucam fuisse pictorem, ac, fuisse Medicum; non admittere imagines omnes, quæ variis locis honorantur, & à S. Luca pictæ feruntur, revera tales esse; repudiare historiam Inventionis sanctæ Crucis; Acta S. Silvestri Papæ; Bullas, quibusdam Pontificibus affictas; librum Joannis Hierosolymitani, de institutione Monachorum ad Caprasium; Epistolam, sub nomine S. Cyrilli, tertii in Carmelo Prioris, sese commendantem; Vitam S. Angeli Carmelitæ, ab itinerum eius individuo Socio, ut volunt, compositam; & sexcenta eiusmodi.

7. Magnum crimen, & ante hunc diem ab historica rudibus inauditum! Næ ego vices doleo Patern. vestræ, quod tam inconsideratè famam suam ludibrio exponat, vel ipsis in historia ecclesiastica tironibus, cum talia arguit ac reprehendit in Papebrochio, quæ Eruditi passim amplectuntur, ita persuasi aucto-

ritate

ritate veterum & elucidatione recentiorum. Verè, non una nocte aut subita metamorphosi Theologus bonus, bonus evadit Historicus. Si antiquos legisset auctores Patern. vestra, si legisset recentes, oculorum animique acie in veritatem intentà; non verteret Papebrochio crimini, quod laudi potius vertendum est.

8. Primo loco arguitur, quod Constantinum Magnum sub finem vitæ, non à S. Silvestro baptizatum, dicat. Non gratis id dicit Papebrochius, secutus auctores probatissimos, coævus Constantino atque ad ætatem eius proximè accedentes. Hos producere (tametsi longior futurus sum, quàm vellem) in gratiam Patern. vestra labet, ut hic eos legat; sine confusione tamen sui, si possit. Exemplo ex uno de reliquis judicabit Lector.

9. Primus, & coævus Constantino & gestorum ejus scientissimus, prodit Eusebius Pamphili, *Cæsarea in Palestina Episcopus*, describens accuratissimè extremum ejus morbum, iter, baptismi desiderium, baptismum ipsum, testamentum, obitum; quæ legi possunt libro eius quarto de Vita Constant. cap. 61. & seqq. Et de baptismo quidem scribit, quod in suburbano Nicomedia convocatis Episcopis infirmus Imperator, desiderium suum baptismi suscipiendi declaraverit; ab iisque solemnibus ritibus divinis ceremoniis peractis, sacrorum mysteriorum particeps factus sit. Et postquam omnia rite impleta sunt, candidis ac regis vestibibus, lucis instar radiantibus, est amictus; & candidissimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere amplius voluit. Non potuit Eusebius, qui historiam hanc scripsit sub Constantio Constantini filio & successore, non scire, quid patre ejus factum fuerit, præsertim in re tanti momenti & tam solemniter acta; nec præsumi potest ausus fuisse mentiri, à toto mundo mox redarguendus.

10. Anno ab obitu Constantini vicesimo secundo coacta fuit Synodus Ariminensis, in qua præter Arianos, interfuerunt Episcopi plures quàm trecenti Catholici; qui omnes, in Epistola sua Synodica ad Constantium Imp. extante apud Athanasium græcè, dicunt Ἐπειδὴ Κωνσταντίνου, ὡς ἐξ ἀνδρῶν πρὸς ἡμῶν βασιλέως... Constantino post baptismum susceptum, vita functo,

11. Eandem sententiam Arbanasius, dum Epistolam synodicam operibus suis inserit ac approbat, similiter approbasse censendus est; nō id facturus profecto, si aliter se res circa baptismum prædictum habuisset; quod ipse, si quis alius; ac totus pene Orbis Christianus tum novisse poterat. Id etiam ostendit S. Ambrosius, semper in Occidente (ni fallor) commoratus, & anno post Constantinum sexagesimo mortuus, in Oratione quam habuit de funere Theodosii Imp. in qua de Constantino mentionem faciens ait; Cui baptismatis gratia in ultimis constituto, omnia peccata dimisit. Adde Hieronymum, non admodum multis post Ambrosium annis mortuum. Dicit is in Chronico, Constantinum, extremo vite sue tempore, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, baptizatum esse.

12. A morte Hieronymi potissimum floruerunt, in Oriente Historici Græci, Sozocrates, Sozomenus, Theodoretus, Continuatores Eusebii: quorum primus an. 440. vivens, in Historia sua Ecclesiastica lib. 1. c. 39. editionis Valelsanz notat, Constanti-

6
num, ἐν προάσει διαγοντα τῆς Νικομηδείας, τῷ Χριστιανικῷ μεταλαμβάνειν βαπτίσματι
τῷ; in suburbio Nicomedia degentem, baptisma Christianum suscipere.

13. Suppar Socrati Sozomenus, in sua pariter Historia Ecclesiastica lib. 2. cap. 34. rem eandem verbis non multum discrepantibus explicat. Paucissimis post utrumque annis obiit Theodoretus, Episcopus Cyrensis, cujus Græcus textus sic sonat. latine: *Cum Imperator Constantinus esset Nicomedia in Bithinia, graviter agrotare cœpit: cumq; se-cum consideraret, quam incertus sit humana vita exitus, donum sacrosancti baptismatis accepit. Ad hoc namque tempus istud ideo distulerat, quod magno tenebatur desiderio, hoc salutare lavacrum in Iordane fluvio percipiendi.*

14. Proximus illos sequitur Gelasius Cyzicenus, Casarea Palestina Episcopus, Aetorum in Concilo Nicæno collector; de quo Photius in Bibliotheca Cod. 88. sic scribit: *Definit Gelasius in Imperatoris Constantini Magni obitu, quando divino remissionis peccatorum lavacro suscepto, vitæ hujus maculas, quas communi mortalium forse contraxisse oportuerat, una eluit. Baptismate vero tinctum refert ab orthodoxo Sacerdote, sacrosq; ritu; non autem ut quidam prodiderunt, ab hereticorum aliquo. Longiorem autem hanc baptismati obvenisse moram, quod ipsis Iordanis fluminis aquis tingi vehementer optasset.*

15. Quid attinet hisce alios, mediæ ætatis ac recentiores annumerare; Cuspinianos, Perronios, Petavios, Lambecios, Valesios, Pagios? In idem consentiunt cum prædictis omnes, Constantinum sub finem vitæ [Nicomedia addunt plerique] baptizatum fuisse, mortuo pridem Romæ Silvestro. Quare satis sit unum audire, omnium quodammo- do loquentem ore, eruditissimum Petavium. In Rationario temporum lib. 6. cap. 1. anno 337. sic habet: *ipso Pentecostes die meritur Constantinus, in suburbano Nicomedia; ubi paulo ante mortem baptizatum esse PLERIQUE VETERVM affirmant: quibus Cardinalis Perronius nuper adstipulatus est, dum post Nisanam Synodum baptizatum ab Eusebio Nico- mediensi Constantinum asseruit.*

16. Si illa legisset Patern. vestra, quod utique oportebat ab Historico factum esse; qua fronte aulâ fuisset vel hiscere contra Papebrochium, quod tot, tam gravium & antiquissimorum juxta ac recentium scriptorum sententiam, de baptismo Constantini, amplectatur, relictâ alterâ de Baptismo Romano, quæ præcipue nititur pseude- pigraphâ Melchiadis Epistolâ, & improbanda in multis Vitâ Silvestrinâ, quæ fere fundamentum fuit cur posteri id crediderint multi? Habet hic Patern. vestra exem- plo in uno specimen eruditionis, & argumentum confusionis suæ. Hanc ne augeam, missa facio reliqua objecta, majora Papebrochii crimina inspecturus, qualia præse- runt Tituli vestri plerique, paragraphis præfixi, ubi passim notatur, *Translationes Sanctorum, Brevia Apostolica & Bullas explodere & arguere impostura: effutire sua: per im- posturam agere, impugnare cum hereticis Imagines Sacras & Reliquias Sanctorum: impone- re Sedi Apostolica, &c.* Graviores sunt hæc enim verò. Sed quid horum probat textus, Titulis tam sacris subjectus? Judicent æqui partis utriusque Lectores. Ego tantum dico, Theologiam mihi meam non permittere, ut talia regeram in Auctorem magis meritum ac nocentiorum.

Pos.

17. Possim vicissim ornare Patern. vestram (si par pari referre vellem) elogis æquè honorificis, idque majori cum jure, tum quia provocor, tum quia innocentia patrocinator non talia merita. Sed unum pro omnibus sit, non meis verbis leviter effutum, sed authenticum, probè testatum, & publica auctoritate convictum. Dudum penes me est instrumentum authenticum, quale dixi, publicà auctoritate Parisiis anno 1683. die 13. Novembris factum, curante Amplissimo viro, Antonio de Vyón, Domino d'Herouval, Consiliario Regis sui, circa imposturam veram atque palmarem, à Patribus vestris commissam Leodii eodem anno, in impressione infamis libelli, Papebrochium ac Societatem nostram criminantis, cui titulus, *Réponse à la lettre, qu'on a vû courir à Liege de puis peu, sous le titre de N. Conseiller du Roy, contre l'origine & la succession de l'Ordre des P.P. Carmes. A Paris, chez La Roche, à l'enseigne de la vérité, 1683.* Ad eò placuit vobis libellus iste, ut etiam latinitati donatus sit, alterique deterioris farina, *Salisburgi*, uti præfertur, apud *Gottefridum Junck*, nuspiam illic notum typographum, anno MDCLXXXIV. impresso, sit insertus, ubi titulus, gallicè modò hic præmissus, sic redditur latinè: *Responsio ad Epistolam, quæ visa Leodii grassari sub titulo N. Consilii Regii contra Originem & successionem Ordinis Carmelitarum.*

18. Locum impressionis, Latinus hic interpres, uti & impressoris nomen, cautè prætermittit: ubi auctor Gallicus locum impressionis posuerat *Parisios*, & impressoris nomen *La Roche*: cum tamen constet mihi ex amicorum litteris, 16. Julii an. 1683. in loco impressionis datis, Libellum prædictum *Leodii* impressum esse, impressore *Grison*, sur le vieux marché, in veteri foro. Additur præterea sub calcem libelli *Approbatio*, quæ solet esse Censoris, ejusdem ingenii, id est fictitia; quantum quidem ego potui rescire. Nomen Auctoris, probè mihi descriptum, non debeo indicare Patern. vestræ, quæ illum ignorare non potest; vulgo autem indicare non volo, caritatis causa. Sed præcipua, & (si ita malis) unica imposturæ ratio in hoc consistit, quod Auctor ille vester præfixerit Epistolæ suæ, quæ totum ferè conficit libellum, prædicti Ampliss. Domini d'Herouval, rerum omnium ignari, & facti vestrum, ubi rescivit ægerimè ferentis, illustre nomen. Quapropter ut famæ ac nomini suo consuleret, putavit notam adeò turpem per publicos Tabelliones ac instrumenta à se atque familiâ suâ arcendam. Instrumentum, ut dixi, authenticum penes me est, & nec cursum Epistolæ meæ interrumpam, sub finem dabo ea, qua scriptum est gallica lingua. Judicabit deinde Lector plura de sincera fide Patern. vestræ ac suorum, quam ego velim hîc exprimere. Judicabit etiam eadem de re, majori cum certitudine, si inspexerit Bullam Clementis Papæ X. datam Romæ die 6. Maji 1673. relata in Bullario novo, Bulla xxxiv.

19. Summo denique crimini datur Papebrochio, quod nonnulla teneat in re historica, quæ Lutherus, Calvinus [quos tamen is legit nunquam] Launoyus, ac Natalis Alexander docuerunt. Quasi verò nihil reperiat veri inter errata plurima hæresiarcharum. Quid vetat uniones luto permixtos colligere ac servandos reponere? Meminitne Patern. vestra, quod Articulo suo XIII. §. XIII.

num.

num. 101. in quem casu incido, ad probandum quædam dicta sua, advocet *Auctores Bibliothecæ Tigurinae*, cognitos à se ut hæreticos? Nuspiam advocat P. Papebrochius Lutherum aut Calvinum, nuspiam Auctores Bibliothecæ prædictæ. Quod illorum doctrina immerenti imputetur, debet cum aliis ejusmodi beneficiis Patern. vestra. Miserrimum vero Launoium (sed in Carmelitas peccavit) ac magis etiam miserum Alexandrum, quod uterque passim hæreticos comitari, jubente Patern. vestra, debeat; atque Alexander insuper debeat Papebrochii causa culpam neutrius luere, coactus (quasi immemor esset calamitatis suæ qualiscumque) identidem audire ex Patern. vestra, cum ingenuorum indignatione, *damnatum se ab Ecclesia esse*. An religiosum est afflicto addere afflictionem? & pœnam, à Superiore semel inflictam, ab æquali, nihil injuriæ passo, sæpius iterari?

20. Nolim ego R. P. vestro Philippo Theissiere, qui anno 1682. coram Capitulo Provinciali, Biterris coacto, Historiam Carmelitanam, Theisibus Episcopo loci dicatis, theologicè defendendam suscepit, exprobrare, quod Theisibus ipsius, & in Theisibus Historia Carmelitana, Romanâ censurâ notatæ, ac legi prohibitæ sint. Et quam multa vos etiamnum sustinetis, quæ damnatis illis Theisibus continentur? Quod Papebrochius citet subinde, ac laudet etiam Natalem Alexandrum, vitio ei dari non potest; cum id fecerit prius quam libri illius proscripti fuerint; quemadmodum ad crimen imputari non potest ulli, qui hodie laudaverit librum, multa bene ac eruditè disputantem; si is forte propter detecta quædam errata, post mensem aut annum, in indicem librorum prohibitorum referatur. Papebrochium autem ante damnationem Alexandri prædicti, tantummodo usum fuisse libris ejus, scivit Patern. vestra, citans Art. suo 4. §. 7. partem textus hac super re Papebrochiani. Sed cur non totum? An ex toto textu patuisset sinceritas Papebrochii, & omni culpa à legentibus totum, absolvendus putabatur? Totum igitur accipe ex conatu Chronico-historico pag. f. 5. num. 20.

21. His prænotatis, incipio cū P. Henschenio à primo ac præcipuo Ecclesiæ capite, Christo Iesu, cujus Vicarii sunt Romani Pontifices, Petri successores. Sed ecce, ipso tempore, quo utriusq; Tomi [4 & 5] impressione jam ferme absoluta, pagina hæc, in duobus ultimis numeris mutanda, iterato destinatur ad prælum; perfertur Roma gravissimum Sanctissimi Domini nostri Decretum, publicatum istic an. MDCLXXXIV. die X. Julii, quo " Libri quidam, Auctore Natale Alexandro, Fratris Ordinis Prædicatorum, in sedecim volumina distributi [præter alios in quatuor opuscula divisos] & à primo usq; ad duodecimum seculum inclusive editi, sub titulo, Selecta Historiæ ecclesiasticæ Capita, à S. D. N. Innocentio PP. XI, motu proprio & ex certa scientia ac matura deliberatione, deque Apostolica potestatis plenitudine damnantur ac reprobantur, ac legi seu retineri prohibentur; ipsorumque librorum omnium & singulorum impressio, descriptio, lectio, retentio, & usus sub gravissimis pœnis in decreto contentis, omnino interdicitur. " Ne quis igitur, duos hos Tomos in lucem venire videns post hujusmodi Decretum, & nihilominus in eis dictos libros subinde absq; scrupulo allegatos reperiens, observantiam Apostolicorum mandatorum, quæ ante singulos Tomos profitemur, eo in casu desideret;

9

monitum lectorem velim, id, prius quam tale decretum conderetur Roma, procul inde in Belgio esse absq; malo dolo factum; & quidem in iis dumtaxat argumentis, quæ sola si Auctor ille tractasset, non putamus incursum fuisse Sanctæ Sedis indignationem tam gravem. Interim etiam sic impressa pro non impressis haberi cupio; & Pontificia voluntati in omnibus atq; per omnia morem gestum desiderans, è sexto septimoq; Maji Tomis, jam jam ad prælum postulandis, expungo quæcumque alia loca, dictorum librorum mentionem facientia.

22. Quid ad hanc assertionem positivam, suspicio contraria & male, cohærens, à vobis loco citato mota? Ille retractat ultro, disertis verbis, cum singulari erga sanctam Sedem Apostolicam reverentia; atque pro retractatis & non impressis haberi vult omnia, quæ è Natale uspiam adduxerit. Vobis nihilominus lubet suspicari, hanc tam seriam retractationem aliud non esse, nisi verba & voces, ac frivolum in peccato excusationem.

23. Sed ad crimina Papebrochii redeo; non quod eluenda putem, quæ probata non sunt; sed quod operæ pretium judicem. Hic etiam crimine in uno (quod pace Patern. vestra liceat) monstrare æquo lectori, quid de reliquis sentiendum sit. paragraphus vester VIII Articuli primi sic inscribitur: *Papebrochius ex meris conjecturis impugnat præputium Christi Domini, Antverpia asservatum.* Antverpia mihi vellicat aures; Antverpia, quam ego alteram mihi patriam esse duco diutina commoratione; Antverpia, ubi Acta Sanctorum illustrari cœpta, hucusque feliciter, si per vos licet, illustrari pergunt; ubi monumenta publica, Senatus populique in Societatem merita loquuntur; ubi Societas vicissim gratitudinem suam commonstrare non cessat, domi & foris in vinea Domini laborando; in Scholis inferioribus literis & pietate imbuendo ætatem teneram; in altioribus scientia divina instituendo adultam; in sacris pulpitis dicendo ad conciones; in facellis minoribus Carechizando ad rudes; in Sodalitiis hortando ad virtutem pueros, adolescentes, juvenes, calibes & conjugatos; sacros & profanos, Flandricè, Gallicè, Latinè; in expiando, labore indefesso, pœnitentes; in dando consilium dubitantibus; in consolando mœstos; in visitando captivos; in confortando infirmos; in assistendo moribundis.

24. Illa inquam Antverpia, in istis aliisque gratitudinem & zelum nostrum multipliciter experta, propter unum alterumve Societatis alumnum, & eum alumnum cui (quod novisse potest Patern. vestra, & illustrata Antverpia, brevi typis vulganda, manifestum faciet) præ ceteris Antverpiensium gloria cordi est, indigne concitetur in totum laboriosæ Societatis corpus? At quo pacto? *Papebrochius impugnat: Quid? Præputium Christi Domini, Antverpia asservatum.* Quid Præputium Domini apud Antverpienses, ad antiquitatem Ordinis vestri in monte Carmelo? Quibus autem argumentis impugnat Papebrochius? *Ex meris conjecturis.* Audiamus.

25. Inter Ecclesias (ait Patern. vestra loco citato) quæ contendunt, apud se existere sacrosanctum Christi Domini Præputium, non immerito ecclesia Antverpiensis gloriatur, illud
B
apud

apud se quinque ferme seculis fuisse asservatum: quod Ven. Bollandus, Papebrochii magister Tom. 1. Januarii fol. 6. censet omnino probabile. Primum. Ex testimonio Capituli Antverpiensis anno 1416 dato. Secundum. Ex testimonio Theobaldi Archiepiscopi Bisontini anno 1427. dato. Tertium. Ex testimonio Ioannis Episcopi Cameracensis anno 1428. Denique, ex testimonio Eugenii Papae anno 1446. Quibus accedit Bulla Clementis VIII. anno 1599. data, qua confirmatur Confraternitas circumcisionis, iam olim in urbe Antverpiensi instituta. Haec saltem laus, quod praeter ceteris ecclesiis, de praerogative Christi contendentibus, illud adjudicetur Antverpiensi, & quidem tam variis argumentis, debetur Actis Sanctorum, & eatenus id debet Antverpia societati.

26. Sed an P. Papebrochius id impugnet? Enimvero, inquis: Ex professo enim studere videtur, ut antiquissimas Capituli Antverpiensis litteras, quibus testimonium perhibetur, quomodo Hierosolymis olim ad Ecclesiam Antverpiensem transmissum fuerit sacrosanctum Christi Domini Praerogative, funditus evertas, aut saltem de suppositione & fictione valeat reddere suspectas. Nam, quamvis praefata littera disertis verbis afferant, sacrum Christi Domini Praerogative Hierosolymis Antverpiam transmissum esse ab Henrico Noese, Presbytero Antverpiensi, facto Hierosolymitanorum Episcopo; praesidenter tamen asserti Papebrochius, Tom. 7. Maii pag. 702. col. 2. Nullum inter Patriarchas Latinos, qui Hierosolymis federunt, locum esse Henrico, de quo littera Capituli Antverpiensis anni 1416. Quo asserto, iuxta modum argumentandi, seu potius arguendi, ipsi admodum familiarem, Antverpiensium testimonii probabilitas ac verisimilitudo funditus evertitur.

27. Nihilne aliud argumenti suppetit? Inde igitur vestra Patern. videtur Papebrochius ex professo studere, ut funditus evertas litteras Antverpiensis Capituli, atque ita impugnet Praerogative Christi Domini, Antverpia asservatum? Et tamen certo scit eadem vestra Patern. illo loco Papebrochium ex professo studere Chronologiae Patriarcharum Hierosolymitanorum stabilienda: quo facit imprimis, ut ne quem annumeret Patriarchis istis qui annumerari omnino nec potest, nec debet. Sed quid tandem peccavit Papebrochius? Praesidenter asserti, nullum inter Patriarchas Latinos locum esse Henrico (cur non Patern. vestra locum ei quaerit, ac ostendit esse?) de quo littera Capituli Antverpiensis, Anno 1416. signatae. An vero in peccato isto, quod dicis, vel verbum est, quod praerogative sonet, nedum impugnet? Alia prorsus, quam vos vultis, & non bene interpretamini, illic habet Papebrochius, huc pertinentia. Imprimis partem profert ipsarum Capituli litterarum. Deinde eas explicat, & conciliare conatur in favorem Antverpiensium, ac veritatis. Praerogative vero tantum abest, ut impugnet, ut ejus perpetuam seculorum quinque possessionem, variis documentis testatam, affereret indubitablem esse. An hoc impugnare est? An ea non legit Patern. vestra? Fidem hic requiro Religiosam, Sacerdotalem, Provincialem. Accipe textum Papebrochii, quemadmodum vestrum jam dedi, totum, ut jacet: Judices appello ipsum Ven. Capitulum Antverpiense, ipsamque Patern. vestram, ut coram Venerandis istis viris moderatiore animo expendat dicta Papebrochii, & sententiam suam

11

suam vel confirmet, si ausit ac possit; vel retractet, si se amet ac amari velit. Ita scribit Papebrochius:

28. Ex dictis apparet, regnante Balduino I. nullum inter Patriarchas Latinos locum esse Henrico, de quo littera Capituli Antverpiensis, signata anno MCCCCXVI. & à nobis prolata 1. Ianuarii; ubi de Præputio Domini, num. 24. sic loquuntur; “ Tradiderunt nobis seniores nostri, quod olim regnante in Terra sancta felicitis recordationis illustrissimo Christianissimo- que Principe, fundatore nostro, Godefrido de Buillon; Hierosolymitanorum Rege, erat cum illo generosus quidam vir Antverpiensis oppidanus, Henricus Noese, Presbyter & ejusdem Domini Godefridi Capellanus; qui deinde eorumdem Hierosolymitanorum factus Episcopus, videns, succedente Balduino, præfati Regis Godefridi fratre, sævitiam infidelium reinvalere Paganorum; natalis patriæ nimirum affectus amore, conquistum ante & sufficienti documento probatum Domini nostri Præputium, per manus cujusdam nostratis Capellani sui & nostri, Arnoldi Heerbrant, priusquam morte corporali illic præveniretur, ut rem tam sacram, indignis fidelibus subtraheret, ad nostram præfatum ecclesiam Antverpiensem, memoriale sui perenne, fideliter transmisit. “ Facile fuit decursu seculorum trium, in hac per traditionem accepta relatione, variari quidpiam salvâ rei substantiâ, quam perpetua seculorum omnino quinque possessio, variis documentis testata, indubitabilem facit. Omnia autem consideranti mihi verosimillimum sit, quod D. syberius Patriarcha, cum decretum haberet ab infensi sibi Regis Balduino facie Antiochiam declinare, Vicarium pro se reliquerit Henricum istum, unum fortassis ex suffraganeis Episcopis suis; & sic traditio Antverpiensium Episcopum dixerit, qui solum erat Episcopi Hierosolymitani Locum-tenens; cui etiam additum cognomen Noese posterioris forsitan institutionis fuerit, quia seculo xv. sic appellabantur, qui Henricum istum inter propatruos suos numerabant. Ita Papebrochius. Quid hic Præputium Christi Domini impugnat? Imo quid illud non confirmat Antverpiensibus?

29. Hactenus Antverpia me loqui coëgit & nondum finit tacere. Facit ad gloriam ejus, ne quid indignum committamus in sanctum Apostolum suum Norbertum, institutumque ab eo sacerrimum Ordinem. Quid? Nos? in S. Norbertum institutumque ab eo Ordinem? Primordia saltem ejus ex veteri Testamento accersenda non sunt. Rogat me hinc diebus (jocunde an serio, vix scio) Vir amplissimus, Ordinis istius imprimis amans, & mihi pridem familiariter notus, numquid moliremur proximo Sanctorum Junio mense adversus Ordinem Præmonstratensem; simulque proferri jubet librum Patern. vestræ, ab aliquo subditorum vestrorum ei dono datum, monstratque mihi locum, quem hic monstrandum omnibus proferre lubet, ex Art. 22. §. 2, num. 19.

30. Videtur præterea (inquit ibi Patern. vestra) Papebrochius etiam adversus historiam Canonicorum Præmonstratensium aliquid machinari, quod effutiet in Junio, quando edet vitam Sancti Norberti nisi coërceatur. Nam tom. 2. April in Propylæo, parte 2. numer. 29. dicit: “ Exortos Canonicos Præmonstratenses, credibile est in principio suo, distinctos fuisse à secularibus solo colore; haud multum dissimili

30. *formâ tonsuræ atque vestitus usos.* Quasi vero à S. Norberto non minus vestitus & religiose formam acceperint, quam ipsam Regulam,

31. Nisi Prophetam hic agat Patern. vestra, capere non possum, quî de futuris contingentibus & libertati nostræ subiectis, tam asseveranter pronuntiet, determinatè futura esse. Videtur, inquis, Papebrochius etiam adversus historiam Canoniconum Præmonstratensium aliquid machinari. Tacebit potius salva veritate, uti tacere voluit de antiquitate vestra, si passi fuissetis, quam loquatur rationabiliter displicitura Ordini integro. Quid vero est, cur timeant Præmonstratenses, nisi fortè à prophetia temeraria Patern. vestræ tantum? Machinatur aliquid Papebrochius, quod effutiet in Junio, quando edet vitam S. Norberti, nisi coërceatur. Nisi Patern. vestra coërceat, nescio quis tandem coërciturus sit; cum putem, nulli uspiam terrarum tantum mali ominis in mentem venisse, quantum hic præfagitur à vobis.

32. Prohibet proximo Sanctorum mense Vita S. Norberti. Ita est, ipso adjuvante Sancto. Sed, tacentibus nobis, docebit Vita illa, quam irreligiose ac temere hæc & similia effutita sint à Patern. vestra, pro tota mali ominis probatione aliud non citante quam hæc verba Papebrochii, & hoc modo: *Exortos Canonicos Præmonstratenses, credibile est, in principio suo, distinctos fuisse à secularibus solo colore, haud multum ab simili formâ tonsuræ atq; vestitus usos.* Miror equidem, quomodo prudenter hinc inferri possit, timendum esse Præmonstratensibus in editionem Vitæ S. Norberti, aut coërcendum iis esse auctorem Vitæ edendæ, de qua nemo bonus mali quidpiam ominatur.

33. Dic amabo, Religiosi Præmonstratenses, nonne Canonici sunt? Quid si modo institutum eorum obtineret, ut haud multum ab simili forma tonsuræ atque vestitus uterentur; colore tamen vestium albo distinguerentur à secularibus; an similitudo illa tonsuræ atque vestitus iis magis indecora foret, quam appellatio Canonici? Nihilominus id displicet vestræ patern. inquenti; *Quasi vero à S. Norberto non minus vestitus religiosi formam acceperint, quam ipsam Regulam.* Certe Regula S. Augustini, quam suis tradidit S. Norbertus, ne colore quidem differt ab eadem Augustini Regula, quam plures alii Ordines religiosi sequuntur; & tamen indecora præmonstratensibus non esse putatur, etiam à patern. vestra: cur igitur vestitus, colore saltem à vestitu Canoniconum secularium diversus, indecorus ei, præsertim initio Ordinis, fuerit? Sed neque ait Papebrochius, *haud multum dissimili formâ tonsuræ atq; vestitus usos fuisse Præmonstratenses, initio Ordinis sui, illi formæ, qua tunc utebantur Canonici seculares;* sed illi, quæ exprimitur in lapide effigiato sepulchrali, de qua controversia erat. Ut autem hæc patefiant, producā, uti supra, ipsum Papebrochii textum, integrum, & quidem paulo altius repetitum, partim claritatis causa, partim ut appareat quam aliter citetur à vestra patern. auctor ille, aliter ipse scripserit; quamque ex incidenti tantum illic mentionem faciat Præmonstratensium. Loco igitur citato, quæstio vertitur, an lapis sepulchralis in oppido Boppardia ad Rhenum, effigiem exhibeat Carmelitæ; a jentibus vobis, Papebrochio negante, & sic inter alia loquente num. 29.

13

34. Interim ex visis dictisque apparet satis, nihil Carmeliticum videri in lapide Boppardensi: quem tamen ut precipuum solidissimumque sua in Europa antiquitatis fundamentum ostentant aliqui, majori prejudiciorum tuendorum zelo ducti, quam rerum veterum cognitione instructi. Quoniam verò de istio sepulchro facilius est pronuntiare, non fuisse Carmelitam, quam distinctè definire quis fuerit; optarem plura seculi XI. ac XII. monumenta sepulchralia in provinciis Rhenanis eorumque vicinia superessent, Vix enim dubito, quin Priorum seu Praepositorum secularium lineamenta omnia similem fere habitum repraesentarent. Siquidem paulo post exorti Canonici Præmonstratenses (quos credibile est in principio suo distinctos à secularibus fuisse solo colore) hanc multum dissimili forma tonsuræ atque vestitus usi sunt; quemadmodum colligere nobis licuit ex antiquis picturis, B. Hermannum Sieinfeldensem, seculo XIII. mortuum, representantibus. Cur Patern. vestra hæc citans, omisâ parenthesis notâ, confundit sensum? Cur formam tonsuræ atque vestitus Præmonstratensis refert ad seculares Canonicos, cum ad imaginem in lapide effigiatam deberet? Cur ultimam Orationis partem, præmissorum probationem de visu continentem, præscindit, parum fideliter adducto textu dimidio? Fidem hic requiro, quam supra;

35. In utroque textu Patern. vestræ, à me paulo ante producto, mirari satis non possum, quomodo tam debilia proferat, ad probandum, per miserum VIDETUR, quæ tam magnificè ac jaçtanter proponit in titulis. Primi loci titulum supra dedimus; alterius sic habet: Papebrochius valde insolenter, & successu plane erubescendo, antiqua variorum Monachorum, quos inter Norbertinorum, invadit diplomata & monumenta. Erubescunt litteræ ipsæ, quantumvis nigræ, quod promittentibus ipsis tam multa ac gravia, præstentur tam pauca & ferè ficta. Primo loco Patern. vestræ VIDETUR Papebrochius ex professo studere, ut antiquissimas Capituli Antverpiensis litteras funditus evertat. Secundo loco eidem VIDETUR etiam adversus historiam Canoniorum Præmonstratensium aliquid machinari. Idne probare est thèma, tam insolenter & asseveranter in titulo propositum? Si ego de scriptore inepto, qui maledictis utitur pro argumentis, dicam, quod mihi insanire videatur: an propterea infaniat?

36. Probet Patern. vestra esse, quæ Papebrochius negat esse, quæque non esse ostendit, non rectè vapulans ab eo, qui dicit, supponit, clamitat, & nihil probat. Negat Papebrochius, Henricum Noese, de quo supra, fuisse Patriarcham Hierosolymitanum, & rationem reddit, quia illo tempore, quo fuisset, constat alium sedisse. Vult ipsum Patriarcham fuisse Patern. vestra; sed rationem nullam reddit, qua probet. Improbat ille Vitam S. Angeli, negatque ab itinerum socio scriptam esse ob argumenta plurima; quæ vobis solvenda proponit tom. 2. Maii in Append. & nisi solveritis, nihil facitis. Negat Papebrochius S. Eliam institutorem esse Carmelitani Ordinis, ut SS. Dominicus, Franciscus, Ignatius sunt suorum; & pluribus probat tom. 1. Aprilis & alibi, rejectis per argumenta bona monumentis incertis, fictis, falsis. Afferit, quod ille negat, Patern. vestra; ut probet, assumit monumenta illa, incerta, ficta, falsa, everfa, pro certis, sinceris, veris, inconcussis. Probandum est talia esse monumenta ista non supponendum.

B 3

37. Neque

37. Neque suppositiones vestrae, probationes ut fiant; aut dicteria scommatave, ut rationes evadant; unquam efficiet auctoritas Censorum, quamvis multorum & è variis Academiis, magis Theologicis, quam Historicis, collectorum; illorum praefertim, qui extra chorum saltant, Judicis personam induentes, ubi Censores tantum rogati sunt, & videri volunt; qui non modo probant, quae legerunt; sed etiam condemnant, quae non legerunt; qui statuunt aliquid parte inauditâ alterâ in favorem auditâ, ac grave praedictum non auditâ. Aequiore hic Judice opus est, ut de talium aequitate aequum judicium judicetur. Finge, me coram Titio Judice injuriarum agere Patern. vestram ac dicere; inepta, falsa, truncata, injuriosa, scandalosa, damnanda, comburenda scripsisse: putas aequum fore Titium? si non auditâ Patern. vestras non lectis ejus scriptis, quae accusantur, sic pronuntiet: Ego Titius *Censeo Patrem Sebastianum à S. Paulo in iu.*, quae contra librum ejus, *Exhibitio Errorum*, ab Actore citantur (SUPPOSITA CITATIONUM FIDELITATE) non satis insistere Spiritui Ecclesiae Catholicae & proprii Ordinis sui Carmelitani, circa sanctae Sedis Apostolicae auctoritatem; S. R. E. Cardinalium dignitatem; Sanctorum cum Christo regnantium honorem; Religiosorum Ordinum vetustatem ac probata monumenta.

38. Stupeo SUPPOSITA CITATIONUM FIDELITATE. An illud judicandi damnandique fundamentum? Non temerè supponendum est judicanti, quod imprimis inspectum, examinatum, ac certum illi esse debet. An, si supponam ego ex sola unius relatione, injustum in casu dicto Judicem esse Titium; justus ego sim, si non auditum illum injustitiae ac poenae condignae damnem? Si Patern. vestra Censoribus suis cum suo libro simul obtulisset etiam Acta Sanctorum, ut non truncate & perperam explicata, sed integra cum praemissis & subjunctis in proprio fonte legere potuissent ac voluissent; tum verò aequiore, credidero, ac nomine suo digniore tulissent Censuram. Quapropter appellare possem à Censoribus, qui non legerunt Acta Sanctorum in quibus ea damnant; ad eosdem cum legerint, Carmelitanis exceptis. Sed alii reperiuntur, qui legant nostra, magis in historicis versati, quam Theologi plerique; nec desunt Itali ac Galli; quos miror nullos à Patern. vestra esse advocatos ad censurandum. An probatari non fuissent illi scripta vestra? aut re ipsa advocati, ut plures alii, probare noluerint?

39. Cur porro praeter Censores praedictos, initio libri positos, apparet in medio ejusdem tota caterva Censorum, approbantium. Libellum vestrum supplicem ad felicis recordationis S. D. Innocentium P. M. qui ante decennium prodiit, nullâ nisi Ordinarii Censoris approbatione munitus? An sine Censoribus istis intrare Romanam, & oculos sanctissimi Innocentii, cui offerendus erat, subire ausus non fuit? An illorum auctoritate mota Respublica Venera rescindet Acta sua, quibus idem Libellus apud se recusatus, publicari prohibitus ac tenebris addictus fuit?

40. Fui ipse Romae, quando prodiit primùm Libellus iste supplex, uti titulus habet

habet. *Francofurti* impressus ; nec non, quando recusatus fuit in statu Veneto, ac suppressus Superiorum mandato. Submissum etiam è Belgio exemplar obiter inspexi : cumque nihil novi, quod magnopere urgeret, afferri observassem ; concepi *Brevem Instructionem* circa Libellum istum, qua viros aliquot Illustrissimos de quibusdam eò spectantibus informandos curavi, & sic suam Sanctis causam per ipsos tuendam commisi. Discessurus, verò Roma anno 1686. triennio ab editione Libelli elapso, curiosus interrogavi unum è prædictis Illustrissimis, qui ferè quotidie Sanctissimum Dominum ex officio adibat, de controversiâ notâ probe instructum ; Numquid Libellus vester umquam oblatus reipsâ, visûsque fuisset Sanctitati suæ ? Negavit ille, addiditque, si offerretur, nihil effecturum apud æquas Pontificis aures, veritatem præ antiquitate æstimantis. Vivit etiamnum Illustrissimus ille, majori nunc in dignitate constitutus.

41. Lego inter Censuras proximè memoratas, primo loco, *Judicium Universitatis Colonienfis*. Quod & légerint Colonenses ipsi, qui se per litteras apud nos, nihil de fraude suspicatos, excusant, negantes. Universitatem suam approbasse Libellum istum, ac dolentes, seu auctorem ejus, seu alium quempiam, nomine Universitatis abusum, prudentiam atque auctoritatem eius turpiter prostituisse, & ad delendam notam illam obligari, & fortè cogendum. Sed hoc ipsi curaverint. Ego, ne præter propositum meum Epistolæ rationem excedam, finem facio, ubi Protestationem Patern. vestra, aut saltem ejus partem, uti & meam, his adjecero.

42. Protestatio vestra, quam credebam, imprudenter passim scripta abositura fuisse, talis est : *Protestor, me abstinere velle & præscindere ab omni censura ; contentus demonstrare, quod Papebrochius non minus irreverenter, insolenter, & contemptim dicta Ecclesia monumenta. Sedis Apostolica auctoritate communita, repudiet, quam heretici, aut Ioannes Launoyus, Natalis Alexander, alique ejusdem surfuris scriptores ab Ecclesia damnati Hoccine abstinere est ab omni censura ? Sed vult tantum abstinere Patern. vestra, supponat igitur, Cajum, in pectus Titii deliberatè adgere pugionem, & exclamare ac protestari, se nolle eum lædere : an propterea videbitur Cajus non læsisse Titium, sic percutiendo ; & contra mentem locutus non fuisse, sic protestando ?*

43. Pergit protestatio : *Quod si verò hinc inde Papebrochius nimis acriter & dure corripitur & redargui videatur, dum erroris falsitatis, ac impostura passim arguitur & censuratur ; non habet quod inde conqueratur, cum illorum plerumque evidenter convincatur. Hoc ultimum ostendat Patern. vestra verum esse, & non dico evidenter, sed vel verosimiliter convincat quæ ait ; & ego protestor, me reliqua, quæ in Papebrochium, quæ in Societatem nostram, quæ in Ecclesiam militantem, quæ in triumphantem scripturiendo peccavit vestra Patern. ex toto cordis affectu ei, quantum quidem in me est, condonare omnia.*

Pro



44. Protestor item, corrigente Ecclesia aliquid in scriptis nostris, aut qualibet privatâ personâ errores in illis veros indicante, futurum ut illos proxima quaque occasione corrigamus. Si Patern. vestra inter illos errata nobis vera dignabitur paucis suggerere, gratias à nobis ampliores expectet; si acta pergat agere ac nugas, nullum expectet responsum.

45. Rogo etiam Patern. vestram, ut hanc Epistolam meam, cum adjuncta *Brevi Instructione circa Libellum supplicem vestrum*, de qua modo dixi, patiatur addi ad calcem libri sui, simulque cum illo vendi ac legi. Neque enim moror iudicium illorum, qui cum libro vestro hanc etiam Epistolam legentes, reprehensuri sunt, quod mitior sim, quam par est, in amicum exorbitantem. Malo enim videri nimis mansuetus, quam parum prudens, aut parum religiosus. Atque hic finem faciens, me in eaque studia, ad majorem Dei & Sanctorum gloriam prosequenda, commendo sanctissimis Patern. vestræ sacrificiis, in osculo pacis. Antverpiæ, ex Museo nostro, anno à partu pacifico Virginis 1693. die 5. Martii.

ADM. REV. PATERN. VESTRÆ

Servus in Christo
CONRADUS JANNINGUS S. J.



BRE.

BREVIS INSTRUCTIO
 CIRCA LIBRUM, CUI TITULUS,
LIBELLUS SUPPLEX
 PRO ORIGINE ET ANTIQUITATE ORDINIS CARMELITA-
 RUM, VARIISQUE ILLIUS HISTORIIS,

*à S. Congregatione Rituum iteratò recognitis & approbatis,
 nec non Summorum Pontificum Bullis, &c.*

S. D. INNOCENTIO XI.

exhibitus per Fr. Sebastianum à S. Paulo, &c.

Etsi veritas odium pariat apud multos, apud matrem suam tamen, Ecclesiam dico Romanam, parere nil nisi amorem potest illustrantibus ipsam, è tenebris in lucem protractam. Utrumque veritatis partum, ipsam illustrando, sibi peperit P. Daniel Papebrochius, decessorum suorum exemplo laudabiliter atque indefesso studio Sanctorum gloriam cum veritate promovens, colligendo illustrandòque ipsorum Acta, tantà cum utilitate Religionis Catholicæ, ut ipsi in Hollandia acatholici Doctores ac Prædicantes fateantur, hæcenus nullum produisse Opus, quod continuatam in Ecclesia Catholica ad nostra usque tempora sanctitatem, sacrarum Traditionum ac Rituum successionem, Doctrinæ per singula secula conformitatem, aliæque plura manifestius commonstret, quàm *Acta Sanctorum*, à P. Joanne Bollandando inchoata, communi bonorum plausu excepta, singulari Summorum Pontificum favore promota; aded ut Alexander VII. eorum Auctores, tum temporis Godefridum Henschenium & Danielem Papebrochium, è Belgio in Italiam evocaverit, ac bibliothecas tum Vaticanam, tum reliquas omnes, ipsis examinandas patere, dato ad hoc diplomate, voluerit.

2. Inde in Belgium reversi Patres, ingenti sacrarum noticiarum thesauro divites, cœptum Opus feliciter profecuti sunt. Cùm verò ad Vitam S. Bertholdi, primi Carmelitarum Prioris Generalis, ventum est; ne vel à proposito sibi veritatis studio recederent, vel indignationem PP. Carmelitarum incurrerent, tractando quæstionem de origine Ordinis; ab hac abstinendum sibi, salva veritate & amicitia prædictorum Patrum, putaverunt, Acta S. Bertholdi tantùm illustrasse contenti, nulla peni-

tus

tus de antiquitate Ordinis facta mentione. Patet hoc legenti eius Vitam, impressam Tom. 3. Martii pag. 791. Utinam prudens hoc atque innocens de antiquitate Ordinis silentium (quid enim silentio innocentius prudentiusque, ubi loqui quod sentis, prævides displiciturum offensurumque?) omnibus æquè ac plurimis è PP. Carmelitis probatum fuisset! Uni præcipuè P. Francisco Bonæ spei displicuit, qui proinde arrepto calamo librum composuit sub hoc titulo, *Historico-Theologicum Carmeli Armamentarium*; ubi per triginta & amplius paginas, contra PP. Henschenium & Papebrochium nominatim agens, ipsorum silentium, quod dixi, acriter perstringit, ejusque rationem publicè reddi prolixè exposcit. Neque hæc mihi ita asserenti credi velim; Armamentarium ipsum pro me, quæ asserui probabit.

3. Ita per scriptum publicum provocati Patres prædicti, & sua, & Operis sui interesse putaverunt, publico similiter scripto satisfieri provocanti: adeoque Tom. 1. Aprilis à pag. 769, ad Vitam S. Alberti, rationes silentii sui exponunt. Verùm prius quàm rationes istæ typis ederentur, subodorati PP. Carmelitæ, illas expectatione sua solidiores esse; provocationis suæ consiliū damnarunt, omnemque continuò moverunt lapidem, tum per se, tum per ipsam Societatis Jesu Præpositū Generalem, ut earum editionē impedirent; obtinueruntque re ipsa illum in finem epistolam à dicto Generali P. Oliva, quam & impresserunt *Libello suo supplice*, de quo agimus pag. 10. Sed uti nunc in hoc *Libello*, ita tunc apud P. Olivam callidè tacuerunt de Armamentario & expostulatione, publicæ luci à se datis; quæ cum P. Generalis ex suorum informatione postea cognovit, ægrè ferre non potuit, responsionem paratam publicè postulanti reddi. Porro quæcumque in prædicto *Libello supplice*, pro pace conservandâ à PP. Carmelitis gesta, speciosè dicuntur, post violatam ex parte illorum pacem per editionem Armamentarii gesta esse, observandum studiosè est. Iterum dico, studiosè observandum esse, Armamentarium Carmelitanum P. Francisci Bonæ spei, publicè provocantis atque obtestantis P. Papebrochium, ut suam de antiquitate Carmelitani Ordinis sententiam ferret, multò prius fuisse editum, quàm ipse illius mentionem vel verbo fecerit. Patebit id utriusque scripta inspicienti. Atque hoc modo abunde refutatum est, quidquid in *Libello supplice* ejusque Synopsi objicitur non rectè P. Papebrochio, quasi primum ipse offensionis posuerit lapidem.

4. Circa reliquum porro *Libellum*, etsi nihil quidquam contineat, quod non pridem aut refutatum, aut gratis asseri monstratum, aut scriptis supposititiis atque apocryphis niti ostensum sit, notanda nihilominus nonnulla veniunt. Ac primò quidem, quod variis locis reus agatur Papebrochius læsæ Majestatis Pontificiæ, propterea quod Bullis aliquibus minorem, quàm par sit, reverentiam deferat: scilicet iis Bullis, quas pridem Tom. 1. Aprilis pag. 791. à num. 101. demonstravit apocryphas esse, nec ab ullo unquam Pontifice datas. Quasi verò Ecclesiæ sanctitas auctoritalque sine figmentis salva esse non possit.

5. Noto item, quòd à num. 23. auctoritate Pontificia canonizatam antiquitatem
suam

suam velit *Libelli* auctor: sed vereor ne eadem auctoritate antiquiorem faciat Ordinem, quam ipse velit, ac nomen Fundatoris ab Elia ad Enochum transferre cogatur. Nam numero suo 25. ex Julii II. Bulla, qua priores omnes confirmari ait, hæc ipsa verba pro se adfert, scilicet, *Carmelitas Sanctorum Prophetarum Elia, Elisei, & Enoch . . . successionem hereditariam tenere.* Ex quibus si quid pro antiquitate ac veri nominis Institute probatur, non solum probatur Eliam atque Eliseum (ut volunt Carmelitæ) sed Enochum quoque (quod tamen nolunt illi) & quidem primarium, utpote tempore priorem, veros Ordinis Carmelitani Instituteores esse.

6. Tertium noto, nimis indulgenter præsumere Auctorem *Libelli*, ad evincendam antiquitatem præensam satis esse, quod illius mentio fiat in Officiis Ecclesiasticis, per sacram Congregationem Rituum aut permissis aut approbatis. Fateor, ex ejusmodi approbatione historiis auctoritatem accedere, neque ullus id negaverit Catholicus: at verò accedere talem, ut falsum subesse non possit historiis, sub approbatione tali legi permissis, aut ut viri eruditi prohibeantur circa illas disputare, ab iisque ratione bona nixi dissentire, ne ipsa quidem sacra Congregatio prætendit. Patitur enim de facto quæstionem agitari de S. Dionysio Parisiensium Patrono, an scilicet idem sit (quod Breviarium Romanum manifestè asserit ad diem 9. Octobris) cum Arcopagita, an verò diversus: item, an à S. Clemente seculo primo missus sit in Galliam, an tempore Decii seculo tertio. Patitur similiter de historia S. Matthæi ad 29. Julii relata disputari. Patitur denique (ut plura missa faciam) contra adventum sancti Jacobi in Hispaniam, ad 25. Julii à se assertum, rationibus pugnari. Patitur, inquam, Ecclesia de historiis illis dubitari disputarique, tametsi in Breviario Romano legantur, atque inde non unius tantum Religiosi Ordinis, sed quasi totius Ecclesiæ traditio fieri videantur; neque injuriosum sibi putat, si quis oppositam assertioni suæ in historiis Breviarii sententiam teneat. Quomodo igitur Ecclesia non patietur similiter quæstionem institui de historiis, in privato alicujus Ordinis Breviario contentis, aut ex speciali S. Congregationis favore recitari permissis?

7. Quomodo item injuriosus censeri possit cuiquam Ordini, qui ab illius Breviario ac traditione particulari, nixus ratione bona & auctoritate Historicorum alicujus notæ pæne omnium, recedat? Sed neque ipsi PP. Carmelitæ præcipui in hoc consentiunt Auctori *Libelli* *supplicii*: siquidem ea super re apud S. Congregationem mota difficultate ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Auberto vanden Eeden, Antverpiensium Episcopo, responderunt PP. Carmelitæ Romani utriusque Ordinis, & quidem ipsi Reverendissimi Generales; *Nihil se auctoritatis prætere Officiis suis inesse, præ aliis continentibus historias antiquas, de quibus exacta certaque haberi modo notitia non potest; ut videre est tom. 2. Maii pag. 716. à num. 29.* Sed neque parem inesse auctoritatem Officiis Regularium privatis, circa historias antiquas, recentissimè compositis, & à S. Congregatione purè permissis, atque inest Officiis

C 2

Ecclesiæ

Ecclesiæ universalibus, ab omni memoria legi solitis, & speciali approbatione confirmatis, ex dictis supra manifestum est.

8. Quartum denique noto, in *Libello supplice* num. 53. unde quaque congeri auctoritates Scriptorum, partim antiquiorum, partim recentiorum duodecimo seculo. Et antiquiores quidem non nisi duo vel tres citantur, iidemque fidei aut suspectæ, aut omnino nullius esse convincuntur, tom. 1. Aprilis, pag. 760. à num. 50. Recentiores verò, præsertim cùm plerique hujus aut præcedentis seculi sint, neque ex professo ac studio proprio, sed unius fere Abulensis fide antiquitatem præsentam obiter attingant, parùm morari debent ex cœvis auctoribus studio singulari illà examinantes, & appensis diligenter in utramque partem rationibus, tandem maturè sententiam suam proferentes. Sed neque obtinent auctoritates pleræque id quod prætenditur, neque evincunt quicquam amplius, quàm P. Papebrochius ultro concedit. Vidè enim fis *Libellum* à num. 69. ubi auctoritates Cornelii à Lapide, Francisci Suarez, aliorumque afferuntur; comperies Auctores præcipuos passim uti particulis similitudinis, dicendo, *Eliam tanquam Patronum atque Institutorem esse Carmelitarum, Carmelitas quasi posteros Eliæ esse; item, quasi hæreditariam successionem in Monte Carmelo tenere.* Nihil autem horum negat P. Papebrochius: quin imò docet, quomodo PP. Carmelitæ Prophetam Eliam appellare possint *Ducem, Patrem, Auctorem,* & (si ita volunt) *Institutorem suum;* hoc nimirum sensu, quod per revelationem Prophetæ & jussu ejusdem (quod hætenus ferè ignotum, S. Bertholdo primo Priori accidisse, ex contemporaneo Scriptore, tunc Carmelum invisente, ostenditur) Ordo Carmelitanus initium sumpserit; quemadmodum Ordo Servorum S. Mariæ, ob similem revelationem, illam nuncupat *Fundatricem suam.* Concedit igitur isthæc ultro Papebrochius, & eatenus optimè meretur de Ordine Carmelitano, quod solidum ipsius principium assignet retinendi adeò amatum, Eliæ ut Institutoris, titulum: unum interea deprecans, ut ne rem incredibilem, & Acta Sanctorum scribenti maximè importunam, cogatur admittere; videlicet, Ordinem religiosum à Christo nato duodecim ferè seculis extitisse, & toto illo tempore nulli cuiquam Scriptorum distinctè innotuisse; eundem continuatam sine interruptione, à temporibus Eliæ ad duodecimum usque Christi seculum, successionem tenere; & id auctoribus aut domesticis traditionibus, utrisque seculo duodecimo multò junioribus, credi debere. Inde enim fieret, ut pariter cogeretur Papebrochius in Actis Sanctorum adscribere eidem Ordini, quotquot ferè Palaestina aliæque regiones vicinæ incolas habuere sanctos, puta SS. Hilariones, Serapiones, Spiridiones; Item SS. Basilios, Gregorios, Nazianzenos, Cynillos Alexandrinos; sed & Joannem Baptistam, & ipsam, si Superis placet, Beatiss. V. Mariam. Hi enim omnes præter innumeros alios, nominatim à PP. Carmelitis inter suos annumerantur, nonnullique etiam variis in locis habitu Ordinis donantur. Porro Papebrochium, sensu prædicto, concedere Eliam PP. Carmelitis, patet tum alibi, tum ex tom. 2. Maii pag.

710. num. 9. Quousque autem se extendat ipsius impugnatione, melius intelligi non potest, quam ex verbis impugnantis, quibus ibidem pag. 713. num. 18. ita loquitur: Denique aliud nihil concludam, quam præsentas Carmelitani Ordinis antiquitates ejusmodi esse, ac de iis possit non imprudenter dubitari; ac que ipsos dubitantes nullam facere injuriam Ordini, sive cum de illis agere subterfugiunt, majoris boni respectu, sive cum loqui coacti, eadem ingenuè consentur, quid sentiant: quorum primum in Martio, secundum fecimus in April.

Denique sine annotatione prætermittere nequeo, quod Auctor Libelli, in ipso supplicationis exordio, non minus asseveranter de P. Papebrochio, & quidem primo loco, quam deinde de Patribus sui Ordinis pronuntiet, interdictum tam illi quam istis à Sanctitate sua ulteriori circa rem controversam scriptione: quod de suis quidem certò scire potuit; de illo, nimis temerè, ne dicam injuriosè, affirmavit. Demus tamen ita esse: profectò si istiusmodi interdictum respectu P. Papebrochii re ipsa factum fuisset, non potuisset severius sibi ipse imperasse silentium, quam tenuit hæctenus; & constanter deinceps tenere animum obfirmavit, nihil importunis quibusvis atque verisæ partis libellis, ad respondendum identidem provocantibus, à proposito dimovendus, utpote existimans, hæctenus allata à se argumenta, ad elucidandam quæstionis propositæ veritatem, satis esse veritatis amantibus; nulla satis unquam fore aliter affectis. Utinam eadem mens PP. Carmelitis etiam post interdictum fuisset, nullumque scriptam eorum seu proprio, seu alieno nomine monstrari posset! Utinam & modò foret!

INSTRUMENTUM PUBLICUM,

de quo supra in Epistola, num. 18.

Aujourd'hui est comparu, par devant les Conseillers Notaires du Roy à Paris, soussignez, Monsieur Antoine de Vyon, Escuyer, Sieur d'Herouval, Conseiller du Roy, Auditeur dans sa Chambre des comptes, demeurant à Paris, isle nostre Dame sur le quay d'Alençon, paroisse S. Louis. Lequel a déclaré avoir reçu depuis quelques jours, une lettre inprimée qui a pour titre, Réponse du Sieur de Vyon d'Herouval à la lettre du Sieur, N. Conseiller du Roy. Commencante par ces mots: Monsieur le titre de tres renommé entre le sçavans, que vous me donnez dans la lettre, que vous m'avez écrite, m'ablouiroit, si j'avois la présomption de m'en flatter: & qui finit ainsi: Considérez bien ces paroles, profitez de cette menace, & soyez plus sage & plus Chrestien, lors que vous voudrez toucher un Ordre, qui est si cher à Marie, si vous ne voulez sentir son couroux, & ressentir l'indignation de ma plume. C'est le conseil charitable que je vous donne, estant Monsieur vostre tres-humble Serviteur, à Coloigne le 20. Avril. 1683. Laquelle lettre, le dit Sieur Comparant certifie à tous qu'il l'appartiendra, estre une piece entie-

entièrement supposée & imprimée sous son nom, la desavouant en tous, comme n'ayant esté faite ny écrite par luy, directement ny indirectement: dont & de quoy ledit Sieur Comparant a requis Acte ausdits Notaires, qui luy ont octroyé ce present, pour luy servir en temps & lieu: en la maison du dit Sieur Comparant le treize NOVEMBRE, mil six cent quatre vingt trois, à prez midy: & a signé la minute des presentes, demeurée a Coullon l'un des dits Conseillers Notaires soussignez.

MONNERAT COULLON.


CENSURA ORDINARII.

E Pistola hæc Familiaris, cum Brevis Instructione, modestè scripta pro justa defensione, imprimi poterit, datum Antverpiæ 23. Februarii 1693.


A. HOEESLACH L. C.

Ex Typographia Henrici Thieullier.
















Respo
siones
-tica

J. M.

1611

1612

1613